

DISPUTATIO

DE

**EXEMPTIONE CLERICORUM**

**EXEMPTIONE CLERICORUM**

*Fondujus invenit et admodum exponit  
et approbat. In libro de Clericis. Vol. I. Cap. V.*

## DISPUTATIO

DE

# EXEMPTIONE CLERICORUM

## CAPUT PRIMUM

*An clericci sint liberi a jugo potestatis sacerularis.*

Postrema restat quæstio de libertate ecclesiastica, de qua in hac ultima editione paulo fusiis disputare institui, quod animadverterim his proximis annis non defuisse, qui testimonii hujus libri abuti voluerint ad oppugnandum ecclesiasticam libertatem.

Primum igitur hæretici permulti contendunt, clericos tum majores, tum minores, jure subjectos esse debere sacerulari potestati tum solvendis tributis, tum in judiciis, et causis. Marsilius de Padua, et Joannes de Janduno docuerunt, ipsum etiam Christum non fuisse liberum a solvendis tributis, et quod fecit, Matth. xvii, cum tributum solvit, id fecisse non voluntate, sed necessitate. Ita refert Joannes de Turrecremata lib. iv. Summae de Ecclesia, par. 2 cap. 37.

Joannes Calvinus lib. iv. Institut. cap. 11. §. 13. docet, clericos omnes, præterquam in causis mere ecclesiasticis subjectos esse debere legibus, et tribunalibus sacerularium magistratum. Idem docet Petrus Martyr. in cap. 17. ad Romanos, ubi etiam addit, principes non potuisse concedere clericis privilegium, ut non subjicerentur magistratibus politicis, cum id sit contra jus divinum : et ideo non obstante concessione principum, debere clericos subjectos esse magistratibus sacerularibus. Joannes Brentius in Prolegomenis, et Melanchthon in Locis, cap. de Magistratu, in rebus etiam et causis ecclesiasticis subjiciunt clericos politicis tribunalibus.

Ex catholicis nonnulli censem, jure divino

liberos esse clericos, et eorum bona a potestate principum sacerularium. Ita docet Glossa, et nonnulli ex canonistis in can. Si Imperator, dist. 96. et in cap. Quamquam, de Censibus in 6. et ex Theologis Joannes Driedonius lib. 1. de libertate Christiana c. 9. Nonnulli vero existimant, clericos liberos esse partim jure divino, partim jure humano, id est, in causis ecclesiasticis, et spiritualibus jure divino ; in aliis, jure humano. In his videntur esse Franciscus Victoria de potestate Ecclesiæ, Relect. 1. quæst. ult. Dominicus a Soto in 4. dist. 25. quæst. 2. art. 2. Joannes Medina in Codice de restitut. quæst. 15. et ex Canonistis Didacus Covarruvias in lib. practicarum quæstionum cap. 31.

Sit igitur prima propositio : « In causis ecclesiasticis liberi sunt clerici jure divino a sacerularium principum potestate ». Vocantur causæ ecclesiasticae, quarum cognitio non pendet a legibus civilibus, sed ab Evangelio, vel a canonibus Pontificum, aut Conciliorum, quales sunt controversiae de fide, de sacramentis, et alia id genus.

Probatur primum ex divinis litteris. Nam ex doctrina scripturarum sanctorum regimen ecclesiasticum est distinctum a politico, et illo etiam sublimius, ut a nobis demonstratum est in lib. 1. de Summo Pontifice cap. 7. Ergo causæ ecclesiasticae judicari non debent a politicis magistratibus. Præterea, secundum Scripturas tota auctoritas regendi Ecclesiam a Christo commissa est Apostolis, et præcipue Petro : ergo in rebus ecclesiasticis laici omnes, etiam principes, sunt oves, et subditi, non pastores, et judices, ut locis notatis demonstratum est.

Secundo probatur ex Conciliis. Nam in Milevitano can. 13. et Matisconensi cap. 8.